

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0210

0208

0214

0204

0219

0199

0259

198

alba, altera blavia, tertia gilba. Has mappas ad omnia loca portavi et saepe eas super dominicum sepulchrum explicavi, et super rupem crucis et super sepulchrum beatae Virginis et super praesepe Domini, et caetera, ut ex contactu sanctorum locorum sanctiores et per consequens cariores (fierent).

Generalis peregrinatio et ultima per loca sancta.

Vicesima tertia die mane ante lucem convenerunt omnes peregrini, prout sibi condixerant, in atrium ecclesiae S. sepulchri ad faciendam unum generalem et ultimum circuitum per omnia loca sancta in Jerusalem et per ejus circuitum. Sic ergo cum magnis laboribus ante prandium visitavimus loca sancta in civitate et in valle Josaphat et in monte Oliveti, post prandium vero circumivimus loca sancta vallis Siloae, montis Gyon et montis Syon superius et inferius. Cum autem sero esset factum, intromissi sumus in ecclesiam dominici sepulchri et juxta morem per loca sancta processionem fecimus et juxta monumentum Domini vigilavimus illa nocte etc.

De sexto et ultimo ingressu et pernoctatione dominici sepulchri in Anastasi, i. e. in ecclesia resurrectionis Domini.

(B) Die XXIV. vespera praecedenti iterum peregrinis petentibus intromissi sumus in ecclesiam resurrectionis Domini et cum majori devotione et frequentia illa nocte loca sancta visitavimus, quam aliis vicibus feceramus, propter instantem nostrum recessum et separationem ab eis. Cum autem illuxisset dies, quae erat dominica XIII. post Trinitatis et festum S. Bartholomaei apostoli, cantavimus Officium Missae in dominico sepulchro, ordinatus autem ego fui ad Missam cantandam. Stabam ergo sacris induitus in dominici sepulchri interiori specu ad tumbam sanctissimam, quae pro altari parata erat, et in jubilo alta voce cantabam, et Conventus cum peregrinis stabant extra et mihi respondebant. Cum ingenti gaudio Officium hoc cantavi, et videbatur mihi, quod vocem magis claram et altissimam haberem, quam alias. Non modicam

Ende

Anfang

